

2832. II

66309
58

SERENISSIMO CELSISSIMOq;
PRINCIPI AC DOMINO,

DN. CAROLO GUSTAVO,

COMITI PALATINO AD RHE-
NUM IN BAVARIA, JULIÆ, CLIVIÆ, MON-
TIUM DUCI; VELDENTIÆ, SPANHEIMI,
MARCHIÆ ET RAVENSBURGI COMI-
TI; DOMINO IN RAVENSTEIN:

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS.
ET CORONÆ SVECIÆ
EXERCITUUM
GENERALISSIMO, ET SUPREMO DUCTORI:


VOTIVUM IN GERMANIAM ACCESSUM
HUMILLIMO PANEGTRICO
GRATULATUR

EJUSDEM CELSITUDINIS
DEVOTISSIMUS CLIENS
MAGNIUS LARSSON OSTRO-GOTHUS.



GRYPHISWALDIÆ

Typis imprimebat JACOBUS JEGER Acad. Typographus Anno 1648.



Dicitur Ostquam Divinâ gratiâ
societas incrementa, sumpe-
runt; in eumq; quam Rempubli-
cam vocamus, ordinem coive-
runt homines: nullum nec prius
nec augustius in curis habuerunt,
quàm certis legibus privatorum authoritati mo-
dum ponere; violentiæ potentiorum resistere, ac
servitutem tanquam Juri Naturæ adversam amo-
liri. Quæ sollicitudo, cum decus civilis commu-
nionis adstruat; ad quam homines Divinæ adhuc
auræ particulam trahentes intendunt: suo quo-
dam jure se turbis eripiunt mentes eæ, ac purpurâ
quadam, in celebritatis Throno collocatæ, inve-
stiuntur, quibus hæc commendata est. Verùm
sicut prudens hæc solertia, rarò angustis ingenii
nostrî cancellis circumscribitur: ita in illis ple-
rumque adorari cernimus, ad quos tanquam per
traducem à Majoribus translata est. Sic Philip-
pus Amyntæ prudentissimi Imperatoris filius,
subacta Græcia, Macedoniam ad sublime quod-
dam fastigium evexit; sibi filium Alexandrum, ac
Orbi miraculum reliquit; qui oriente perdomi-
to, aditoq; Oceano, quidquid mortalitas capie-
bat, implevit. Familia similiter Gustaviana, Sve-
corum Regna ad tantam, quam nunc admiramur,
amplitudinem promovit. Quod Gustavus pri-

A mus,

PIS

mus, Patriæ ille ac libertatis Vindex Triumpha-
torq; crudelē Danum regno, quod per frau-
dem & calliditatem occupārat, exuerit: Idipsum
solitudine intersectorum Procerum jam atratum,
quā Divina, quā gentium jura inaudita quadam
tyrannide violatum; virtute à Majoribus acce-
ptâ excitando bellicosam Dalecarlorum gentem
pristinam in libertatem asseruerit; assertum legi-
bus quā Reip. statum, & civium incolumitatem
firmārit: firmatum collatis in varios ordines pri-
vilegiis ornārit, id nobiscum nemo nescit. Nec
degeneravit Incomparandi hujus Herois in filiis
virtus, Carolo præsertim Nono; qui præterquam
quod à Patriæ Ecclesiis horrendam hæresin, et ci-
vium jugulo nefandam servitutem stiterit: vel
hoc unico immortalitatis suffragium meruit, dum
Patriæ ac hereditario Imperio GUSTAVUM
MAGNUM, cui parem ætas nulla vidi, reliquit.
Post luctuosum hujus excessum Regno ruina im-
minere visa. Nam orbitati suæ involuta non vi-
debatur tanto hosti sufficere. Igitur spem inter
et metum dum trahimur, animos capimus ad con-
spectum tanti Regis Filiiæ, à Parente confirmatæ;
nostra omnium fide & humillima devotione ap-
probatae. Fallunt hic Juris Sacerdotes filiam Fa-
miliæ finem dictitantes. Id enim in privatorum
filiabus non incommodè locum accipit. Hujus
verò Filiiæ augusta indoles, cum primordiis ex-
celſæ stirpis pulcherrimum certamen inire vide-
tur: ac si universam originem replicaveris, exci-
piendo Patrem, quem Huic conferas, difficulter
reperies: adeò ut non desinere præclarum illud

Gusta-

Gustaviani Nominis decus in tanti Nominis He-
rede; sed redintegratum esse immenso facino-
rum apparatu cottidiè cernamus. Admota Sve-
onum sceptris **CHRISTINA AUGUSTA**
pari jure Virtutem ac paternum Imperium sibi at-
tribuit: plurimis sat gnara documentis, non pos-
se magnis negotiis, qualia sunt Reipublicæ, nisi
maximas, & quasi de Coelo tactas mentes defun-
gi: Patriæ Regimen, unà cum Excelsis Tutoribus,
commissâ belli ac pacis summâ **A X E L I O O X E N-**
S T I E R N Æ cum **G U S T A V O H O R N I O**, adornabat.
Quibus in Patriam evocatis, Illi Filius **JOHANNES**,
Patre tanto dignus; Huic post **BANNERIUM** am-
borum felicitatis æmulus **LEONHARD TORSTEN-**
S O H N surrogabantur. Horum inusitata sedulita-
te ita Pacis ac Belli exerçtæ sunt intentiones, ut
non nisi futilitatis arguantur, qui causam retarda-
tæ pacis Svecis transcribere; vel quicquam splen-
doris eorum progressui, laudem omnem super-
gresso, detrahere contendunt. Voluit tandem Sa-
cra Regia Majestas, gloriæ saturæ, hostium cladi-
bus fessa, multorum miserta interitus, Germani-
am pristinæ tranquillitati ac libertati restitutam.
Quod igitur DEUS. TER. OPTIMUS. MA-
XIMUS. FELIX. JUBEAT. AC. FAUSTUM. GLORIÆ.
DIVINÆ. MAJESTATI. SUÆ. GERMANIÆ. AC. SVE-
CIÆ. PROFICUUM. SANGVINIS. ET. IN. PATRIAM.
FIDEI. CAUSA. SIBI. DILECTO. PRINCIPI. SERE-
NISSIMO. CAROLO. GUSTAVO. COMITI. PALA-
TINO. AD. RHENUM. IN. BAVARIA. JULIÆ. CLIVIÆ.
AC. MONTIUM. DUCI. VELDENTIÆ. SPANHEIMIÆ.
MARCHIÆ. ET. RAVENSBURGI. COMITI. DOMINO.
IN. RAVENSTEIN. SUMMAM. BELLI. PACISQVE. COM-
MITTIT.

MITTIT. Judicent hic incorruptæ mentes, & se-
questrata obtrectatione, resectis, evulsisq; invidiæ
stimulis fateantur; nolle POTESNTISSLIMAM
AUGUSTAM infelicitate Germaniæ abuti.
Nunquam aliás, post tot Victoriarum Nomina,
indepta Triumphorum insignia, ad pedes sibi de-
positas manubias, adsertam tot gentibus liberta-
tem; Celsissimum suum Consangvineum tantæ
periculorum & molestiarum moli supponeret.
Nisi Is tanquam splendidissimum Impetum Roma-
ni Membrum, cui Ratio patrii status longa con-
suetudine, & assiduo consultationum usu inno-
tuit, quidquid esset Divinæ mentis, quidquid ro-
boris Svecici, eo converteret; quo Orbi Romano
suus vigor ac pristinum decus, Statibus quibus-
cunque sua jura, & carior vitâ libertas postlimi-
nio revocarentur. Placuit ejusdem Majestati,
quo magis arduo hoc muneri sufficeret Princeps,
Ajaceum, cum plurimis in Regnum meritis, tum
magnificâ nuper Legatione Gallicâ orbi com-
mendatum, Illustrissimum Comitem D.N. M A-
GNUM GABRIELEM de la Gardie, suum & Re-
gni Senatorem augusto ejus lateri apponere: ut
ille humeros rei gravitate onustos, tanquam civi-
lis prudentiæ compendium, suffulciret; & affini-
tati Principis tanti innexus Heroicos ejusdem
ausus, ac gravissima sua, simulac saluberrima con-
silia misceret. Tu proinde CAROLE GUSTAVE
nobis salve, salve nobis, non secus ac Atheniensi-
bus quondam Alcibiades. FELIX FORTUNATEq;
Pomeranorum littori adpelle, FIAT! quo horrore
adventus tui hostium animi concutiantur, & ad
Pacis

Pacis implorationem quamprimum adigantur: vel si inveteratae adhæserint pervicaciæ, pristinæq; indulatum iverint ambitioni, ultionis pariter ac decoris tui mancipia fiant. Salve, Princeps Clementissime, Musis nostris, ad pedes tuos projectis subsidii id gratiosæ Munificentiaæ imploraturis; quò ignorantiam ac barbariem hostes sibi infessimos profligare, & Majestati Nominis tui ad surgere non erubescant. Animo meo obversari videtur, ac si spectassem discessus tui pompam; cum nuper Holmiâ excederes, Patremq; Oceani, qui Imperia hæc dividit, ingredereris. Mons Brunconis, sublimes Regiæ Sedis turre; Clasis Regia, maris illa Triumphatrix, & Oceani Dominatrix, ingenti tormentorum fragore subindicabant, abire Principem, Stemmate Germanum, Sangvine Gothico, & robore Septemtrionis induratum, pro conciliandis contrariis hactenus animis CHRISTINÆ & FERDINANDI. Quidquid erat civium; quidquid literati ordinis; Regni Nobilissima Juventus, quam dexteritas tua in ludis Equestribus Tibi devotam fecit: cœtus Imperii Procerum, quos prudentiâ & maximis quibusque virtutibus in admirationem tui conciliasti: Ilsa Augusta, manus illæ tot gentium Victrices, cœlestis ille animus; Vultus qui MAGNUM GUSTAVUM repræsentat; & denique tanquam ab oraculo proditæ voces, itineri huic felicitatem, & prospera quæque adpreca bantur. Cæterum cum acclamantium voces, ac cœlo recepta vota, contemplationem hanc publicæ felicitatis nobis exhibuere: cur nos igitur,

B dum

dum scimus discessum tuum tam festo votorum
applausu, tam splendido Patriæ apparatu conde-
coratum esse, super auspicatissimo adventu mi-
nori gaudio triumpharemus? cur non Germani-
æ & toto Orbi hanc felicitatem gratularemur?
appulisse nimirum Principem, cui præter augu-
stum titulum, Majorum memoria redintegrati-
one in Imperii Romani sæpius inculcat. Ego
aularum peregrinus, insvetus eapropter Majesta-
ti tantæ rei, è censu literatorum infimus, ac in la-
tebris Musarum hactenus delitescens: non ideò
prodii, quasi de infelici hac dictione præsume-
rem, posse eam lætantis ex adventu tuo, Germa-
niæ imaginem exprimere: multò minus ad fasti-
gium virtutum, quod magnitudo earum inhibu-
it, eloquii hujus tenuitatem assurgere: sed ostensi-
tionis suspicionem prorsus insuper habens; fa-
cundiæ, quam quilibet ætati ingeniove huic facile
condonaverit, non attentâ necessitate; gaudium
ex votivo tui appulsi conceptum, coram Te, e-
jusdem authore, effundere volui. Quod igitur
documentum pietatis ad pedes Serenitatis Tuæ
deponit humillimus cliens, gratiose dignare in-
tuitu & affectu; cum unicè hoc ipsum meritorum
in Patriam memoria expresserit. Nec eapropter
Te, Principum Clementissime, devotissimas gra-
tulandi voculas à tholo tuo relegaturum spero,
quod offerentem illas infimæ fortis esse cognove-
ris: qui fretus gratiâ illâ, quâ Tu, sublimis studi-
orum Mecænas, illius ordinis homines erigere
sveras: hanc suam interpretatur felicitatem, si
iisdem, quibus eorum minimus, clementiæ radiis
fuerit

fuerit illustratus. Quod etiam submissè sperat.
Non puto, Serenissime Princeps, è re tantopere
fore, si Gubernationis Regni molestias expende-
rim: omni notum est eas tantas esse, ut raro huic
sufficeret quis, nisi Atlante firmiores opposuerit
humeros. Nam haudquaquam quis inficiatus fu-
erit, licet honoris sit plurimum, multum etiam o-
neris esse, imaginem Divinæ Majestatis in terris
exhibere: ac spiritum illum, quem tot mille tra-
hant, moderari. Idcirco Septentrionis Domina
non minimum favori Superum debet, quod post
traditum Aquilonis sui sceptrum; post injectam
Majestatis purpuram; impositum diadema regi-
um; maximas Reip. curas tanto cum Agnato so-
ciare possit. Huic, quod erat gravissimum, belli
scilicet Sveco-Germanici, ultra octodecim jam
flagrantis annos, directionem concredere. Opus
erat supremo belli Duce, cui insignis Clementia,
omnium amorem & benevolentiam conciliaret.
Opus erat supremo belli Duce, cui splendor fa-
miliæ apud omnes maximam autoritatem com-
pararet ac conservaret. Opus erat belli Duce, cui
laudandam ad æmulationem facem adderent glo-
riosæ Majorum facinora. Omnibus hisce in Pa-
tria nostra quis Te excelsior, Dux Celsissime?
Quis tanto fastigio dignior? Serenissimam enim
Augustam sicut nemo præter Te stemmate attin-
git: ita Tu solus tot augustissimarum Virtutum
capax, tantæq; sustinendæ moli idoneus es. Tu
solus tanti Nominis mensuram impleres; nec tam
augustæ gloriæ habuisti alium vel parem, vel vici-
num: quia nemo Te aut Virtutibus major, aut
nata-

natalibus splendidior. Auspiciū felicitatis singulare nobis Svecis fuit: quum Parens tuus Celsissimus Princeps JOHANNES CASIMIRUS, gloriōsisimo Regi, eo tempore, Affinis fieret; quo Is-
cum Imperii finibus impetum fecit famæ pomœ-
ria diffundendi: Qui posteà Magni nomen meruit, tanquam humani generis Senatus Consulto.
Argumentum insuper Divinæ erga nos clemen-
tiæ agnoscimus: quod post illatos cœlo victorio-
fos CAROLI NONI manes filia ei unica CATHA-
RINA relicta fuerit: quâ dotes animi, quâ venusta-
tem Excelsi Principis amoribus dignissima. Illa
itaque libitu Regis Magni, grato Ordinum ap-
plausu, magnifico solennitatum apparatu, anti-
quissimo Palatinorum Stemmati inseritur. Vo-
luere fata auspicatissimo hoc connubio emorien-
ti Gustavianæ Stirpi succenturiatum ire: nec il-
lusit spem nostram sperata fæcunditas. Præsum-
psit haud infelici conjectura JOHANNES CASI-
MIRUS, vel hoc unum æternitatem suo nomini
accelerare; quippe, erat in Germania Palatinorum
Domus vel antiquissima, vel Majorum luminibus
splendidissima: in Svecia verò à tot retrò seculis
nulla illustrior, nulla tot exemplis Virtutum
feracior; ipsâ famâ orbem quaquavorum perva-
gatâ Gustavianâ illâ clarior. Ignoscas, Clemen-
tissime Princeps, vel studio brevitatis, vel mentis
imbecillitate, non vacare mihi plenè ad avita utri-
usque ordinis tui decora tenui hoc penicillo ex-
currere: ac inter lætitiae hos impetus tot Princi-
pum, tot Ducum, Regum tot, & Imperatorum
Nomina ostendere. Sufficiat meminisse famili-

am

am Palatinorum, inter illas è quibus Caput Imperii Romani eligatur, à Principe loco proximum accepisse. Romanum Imperatorem, ut jus & justitiam supra se existimet, & hac una cum Clementia nihil sibi decentius cogitet, ex lege & immemoriali consuetudine coram Electore Latino conveniri. Ejusdem in causis quibuscumque Cæsar fuerit impetus, ob domus excellentiā, ex Aurea Imperii lege, fundatam esse Jurisdictionem. Septemviros Palatinum & Saxonem, vacante Imperio, ejus Vicarios esse, eademq; qua Imperatores, Majestatis prærogativā vigore fundamentalium constitutionum eminere. Cætera Palatinos Decus Imperii, ac Libertatem semper asseruisse. Dominatui, Hæresi, ac ambitioni præsertim Austriacæ ubivis obstitisse. Hæc Familiæ tuæ Dignitas, Princeps Serenissime, hæc Excellentia. Tu Majoribus quibusq; inclytis satus, augustæ indoli nihil tam convenire judicabas, quàm eorum virtutem æmulari; eos, quibus succederes, quorumq; sangvinem præferres, restituere: generosos maximè, quos à Majoribus traxeras, spiritus non referre indecorum existimans. Relegata igitur voluptate, literis & sapientiæ studiis excellam tuam ætatem consecras, sub doctrinâ juxta ac Virtute egregio Juventutis Rectore, & inter exempla Virorum Regiminis artes callentium non dubiè censendo, Nobili Viro Johanne Bazio Juniore. Qui spretis vel omissionis nugis ac ineptiis, ad quas hodiè paulatim studia trahuntur, quasq; pessimo exemplo tenebriones quidam Generosis Mentibus obtrudere satagunt, verū sapientiæ fru-

C ctum,

etum, eumq; cum elegantia sermonis p̄cipiūè con-
junctum, Celsiss. Tuæ libavit. Relictis Juriscon-
sultorum scrupulofitatibus; præteritis stillicidii
ac servitutis, quas privatum jus exsequitur, ut &
aliarum rerum minutarum circumstantiis: ea
Excelsæ Indoli commendasti, quibus gentium li-
tes definiendæ; Imperii ac Majestatis decora as-
serenda; ambitiones libertatem evertentes repri-
mendæ; profluvia humani sanguinis sistenda.
Quidquid erat Juris Publici, quidquid pro tenen-
da Republ. scriptorum congesserit industria; co-
niamine nunquam satis laudando invasisti actuū
fecisti. Sed quid ego miser in votis habeo? an
convenit huic homini ardorem in studiis Celsissi-
mi Principis extollere? Quod dudum publicis
scriptis fecerunt LÆNEUS ac STIGZELIUS, maxima
sanè in Ubsalia nostra eruditionis Lumina: qui
contentionum tuarum spectatores, iidem facun-
diaz tuæ submissi admiratores extiterunt. Quem-
admodum autem, Princeps Serenissime, fer-
vescenti jam syderis Arctoi Minervæ, fragrantem
Juventæ florem subtrahere noluisti: Ita ætate in
militari convenientem industriæ cum exteris in-
gressus es. Quomodo enim tam sublimis animi
vigor angustis Patriæ limitibus includeretur? Ad-
invenit pridem Batavorum libertatis, ac Hispani-
orum dominationis ardor multas easq; solertes
belli rationes: nec torpuit circa hanc curam Ita-
lorum Gallorumq; singularis quædam & penè ad-
miranda perspicuitas. Quos omnes cum Tu in-
viseres, præter Eruditos, quos semper compella-
bas, nec ullos, nisi forsan qui Scholastica solùm fa-
perent,

perent, non salutabas: præter Academias & Prin-
cipum aulas; Palæstram, Hyppodromum, & quæ
sunt alia studiorum Equestrium certamina tantâ
cum laude frequentasti, ut quotquot eorum adi-
res, totidem tui admirationis ac raræ virtutis do-
cumenta relinqueres. Tu cum præstantissimis
Athletis congregedi haud recusabas, ad experien-
dum robur & industriam: exemplo Alexandri
illius Farnesii Principis olim de Parma; qui in
succrescenti ætate, quemlibet digladiandi fama
commendatum non ante dimisit, quam suas cum
eovires, artemq; componeret. Tu tantò illustri-
or illo, quod talia sine omni temeritate tentave-
ris. Saltu ac folle artus mollire, lacertos roborare;
Vires armis luctaq; obfirmare: militiæ, ad quam
Te destinarunt Sveciæ ac Germaniæ fata, labori-
bus adsvescere: Leonis instar ferocienti equo, ut
jam impetum laxaret, jam, ovis instar ambulando,
recolligeret, fræno imperare: cingere urbes, ex-
pedire machinas, collocare stationes; insidias non
tam ordinare, quam iisdem contraire tantò citius
didicisti, quantò majorem Belli Ducem hoc tem-
pore dares. Nunquam Tu, Magne Imperator, in
eiusmodi officiis ignavus spectator; sed strenu-
us colluctator: nunquam admirator solum; sed
felix & indefessus imitator. Cujus bono, Princi-
pum laudatissime, Heroico sudore illustres hos
ludos condecorares? Patriæ! Cujus commodo
militaret tam salebrosa per singulas Europæi or-
bis partes instituta peregrinatio? Patriæ! Cujus e-
molumento libares tot lingvarum, tantæ pruden-
tiæ mercatum? Patriæ! Cujus felicitati ac liber-

tati

tati, humanas egressus angustias, quidquid obtinueras æternitatis suspendisti. Magnificimus
meritò Illustrissimi ac Celsissimi Parentis tui stu-
dium in Patriam nostram, quotquot ab illâ origi-
nem trahimus: quod Cellitudo ipsius Sveciæ no-
stræ penatibus, amore civium, pedem efferre no-
luerit. Regno, Regi, ac Reginæ Filiæ tanta sem-
per addictus fide, ut credibile sit, Divini illius se-
nii hanc fuisse intentionem; velle benevolentiæ
suæ exemplo Filium ad amorem gentis deducere:
nisi certò constaret, non posse quicquam Heroicæ
indoli acceptius esse illo populo, qui perpetua Vi-
ctoriarum serie toto orbe terrorem nominis cir-
cumtulerit. Quidquid sit, magnum erga Nos be-
nignitatis indicium æstimamus, Celsissime JOHAN-
NES CASIMIRE: quod vel ideò mansionem in Sve-
cia continuam voluisti, ut in spem defunctorum
Regum Progenies tua, maxima quæq; spondens,
educaretur, quò ei cum primis auris, puritas reli-
gionis, ac nostri desiderium inspiraretur. Com-
mune enim omnibus experimur, quampluri-
mos nostrum illi loco favere, cui, præter ortum, si-
mul educationem debemus: altero v. horum de-
ficiente secus se habere non ignoramus. Hoc suo
malo satis edocta est Svecia, quum dicto Sigis-
mundo sacramento renunciare coacta fuit. Quia
enim is non solum extra Patriam educatus, sed
Religioni etiam alienæ addictus; oblitus, in quam
juraverat, capitulationem: omnia contra salu-
tem gentis attentando, ejusdem odium & ruinam
spiravit. Verum enim verò alienis hic, aliter quàm
requirit devotum tui studium, insistere videor,

Impe-

Imperator Fortissime, illustria tua in Patriam
merita silentio quodam obsignans. forsan non in-
juriā: ut iis nimirum arduum hoc muneris illiba-
tum servem, quibus superest præclara quædam e-
legantiæ supellex. Nam ut cuivis facile est Heroi-
cos ausus attingere: sic facundia exaurire nulli,
nisi ad veterem illam exsurrexerit, possibile. Me-
lius idcirco dicendi consulunt mediocritati, qui
eosdem admiratione potius submissa, quām mi-
nus sufficienti commendatione reverentur. Imò
cum verbis solo argumento pretium sit, non im-
meritò vanitatis insimulantur ii, qui rebus, qua-
rum magnitudinem humana imbecillitas non
exæquat, dicendo quicquam addere conantur.
Talia mihi, Celsissime Imperator, meritorum
tuorum nomina intuenti obicem ponere viden-
tur. Quæ tanta sunt, ut si numerum eorum
cum annis quis conferat, ultra ætatem haud dubiè
putet. Ab exteris etenim in Patriam redux, indi-
derunt hanc Juveni mentem eæ, in quas nascens
incurristi, armorum imagines, studiaq; pro pressa
tum Germania domesticorum: ut pro augusto
illo, quod natalis conditio assignaverat, fastigio,
bello, cui incrementa dederint injuriæ Domus tu-
æ, abstinere nolueris; utpote sydera splendore
non alio fine donata esse existimās, quām ut mor-
talium tenebris lucis aliquid affunderent: ita Tibi
tantam dignitatem, nisi eandem saluti Germaniæ
impertires, non convenire. Altius impressæ quo-
que militarium simulacrorum notæ; ac tot Victoriarum
prodigiis CHRISTINÆ AUGUSTÆ
ubique succenturiata felicitas martialem planè

D

ani-

animum indies formavere: non obscurè præsum-
mentem ad perpetuò duraturum sui fulgorem, ar-
morum gloriâ comparandum grandi quodam na-
turæ impetu se duci; certissimum alioquin, se in
eorundem tractatione divinâ gratiâ supra com-
munem modū profecturum. Ut proinde magni-
tudo ejus, mortis illa contemtrix; latius, quam u-
bi nata est, diffusa, ibi pariter exsereretur, u-
bi excelsæ stirpis & Illustrissimæ dignationis in-
cunabula venerabaris. Obliteravit siquidem an-
te lustra aliquot insolentia Austriacorum quid-
quid egregiè Palatini de Imperio Romano meru-
ere: immemores prorsus, defensam non semel
horum fortitudine, contra ferocientem Turca-
rum impetum, Imperii caput Viennam. Tandem
eâ fiduciâ gliscebat eorum felicitas, ut FRIDERICUM
Q U I N T U M nullo Ordinum scitus; neglectis ferè,
quas Imperii leges præscribunt, solennitatibus E-
lectorali dignitate exauthoraverit. Hanc im-
potentiam sequuta sunt alia dominationis exempla;
impedita scilicet ac suspensa religionis libertas,
Principum exilia, & quæ cætera severitatis inso-
litæ tentamina funestissimo huic bello, cui DEUS
tandem catastrophen imponat, fomenta extite-
runt. Non potuere hæc & similia ardenti tuo a-
nimo, postquam æmulatio militaris gloriæ illum
intraverat, non faces aggerere: quum hujusmodi
molitionibus Imperii ruinam accelerantibus ob-
viam eundi avitâ Virtute & exemplis Majorum
accendereris. Maximè igitur armorum successu
captus, quo fregit LEONHARDUS TORSTENSOHNUS
Austriacorum undique potentiam: cum hoc He-
röe,

rōe, quem titulis, quos superavit, onerare desistam, invictum animi robur, ac ardentissimum pressæ Germaniæ zelum componendum duxti. Eo tempore, quo Divinus ille Heros tot illustribus documentis orbi patefecit, non posse ad laudem pertinaces Gothorum animos, ac inveteratam, huic genti fortitudinem, unicā, qualis ad Nordlingam, subsidere clade: Tu, Imperator Celsissime, sublimium immemor Natalium, vel, eo ipso maximè memor, velut unicum inclinata fortunæ columen lateri ejus inhærens, periculorum, insimul triumphorum comitem dedisti. Non potuisti, Princeps Serenissime, coram prudentiori moderatore militiæ rudimenta, quæ tamen continui nisus hanc adumbrantes anticipabant, deponere. Qui Heros, quot adivit ditiones; tot dicto fecit obœdientes: quot impetus in hostem fecit; tot ille clades dedit: quot Victoriae bellicosissimo Gothorum nomini suspendit; tot strages, & funestissimæ hostium per ora nostra sparsæ sunt ruinæ. Huic Tu, Princeps Clementissime, perpetuò suppar, periculorum ac curarum particeps, eadem cum illo apud posteros mactandus eris adoreâ. Ibit inter celebriora hujus ævi exempla ad omnem æternitatem, Principem natalibus splendidissimum sub invictissimo tuo robore, Illustrissime TORSTENSOHNI, ad belli rigorem induratum. Cumulabit Nominis tui Victoriis insigniti famam, Illustriss. ^{me} Comes, quam ad fatalem illam, ac triumphis Svecicis nobilieatam LIPSIAM, domando feroce PICOLOMINII spiritus; formidabilem ac jam tripudiantem hostem

stem concepta spe dejiciendo, omniq; apparatu
exutum ad latebras Bohemiæ profligando vindi-
casti. Nec minus ad immortalitatem faciat, quod
unus idemq; globus equo tuo spinam dorsi, CA-
ROLI GUSTAVI verò, gulam fregerit. Torqueat o-
mnium ætatum ingenia, quod GUSTAVO MA-
GNO ex sorore nepos, eodem quo Avunculus
ante duodecennium Cæsareanos campis arcuerat
loco, Tibi latus clauerit. Erit illa dies postfutu-
rorum admirationi commendata, quā certantibus
propè Lipsiam utriusque Imperii, penè dixerim
totius mundi, fatis; Saxonis glebis periclitan-
te humani generis salute: stante in bivio fortuna,
nescia quo se ob constantiam utriusq; partis ver-
teret; stimulante constantissimo Achte CARO-
LO GUSTAVO tam numero hosti LEON-
HARDUS noster victoriam extorserit. Insumptæ
labori huic tres horæ, qui tamen omnium ætatum
ingenia defatigabit, quin & sui admiratione quam-
plurimi scalam excutiet, in quem lacertos non
ita pridem moverunt decora ingenia. Imò huic
contribuent, quotquot posthac ad fastigium eni-
tentur: nunquam desitura ejus encomia, nisi fati-
scente virtutis studio, facta immortalitate digna al-
tissimo tumulata fuerint silentio. Quod equidem,
quamdiu literis suum decus constat, non siverint
illi, quos procul habito partium studio, candor
aliorum facinora æstimandi supra imbecillitatem
quorundam umbraticorum evexit. Qui mentis
humilitate ad ludos literarios delegati, pulveri
huic placido inserti, ut à periculis, sic ab omni ve-
ritate remotissimi: dum fides eorum vaga magni-
tudi-

tudinem rerum gestarum non admittit; dum propria cum conscientia, jam pridem ad perpetuas umbras damnata, super inauditi facti veritate digladiantur; minora quoque, quam illius Majestas exigit, comminiscuntur. Hinc videmus, ubi Virtutum portenta incredulas mentes onerare cæperunt, ad frivola commenta, & tetricas ineptias eas dilabi. Nec veremur inter hos familiam ducentem nominare Wassenbergium, suâ quidem doctrinâ conspicuum, fædissimo tamen adulationis genio dementatum, qui, dum præter fas & sanctam historiæ fidem adversariæ parti studet, nostrorum Imperatorum ac divini præsertim Regis famam sugillando, gravissimas subsequentibus seculis mendacii ac futilitatis suæ poenas daturus est. Ne moremini, quo so, humanis rebus maiores, ac dum cœlo receptæ mentes horum stultitiam. Vos qui pro religione & libertate sanguini vestro minus indulsistis, æternum per gloriam vivetis. Nullus livor, nulla adulatio Gustavorum, HORNIORUM, BANNERIORUM, VRANGELIORUM, TORSTENSOHNIORUM nomina ex Annalibus eliminatum ibunt, futura olim fabulæ, si iisdem non completerentur. Nunquam nitori vestro quicquam decerpant mordaculi isti, si vel ferreis dentibus accesserint. Quomodo enim infelici calamo iis rebus gestis quicquam detraheretur, quibus nec laudibus lucis, nec obtrectatione tenebrarum quicquam accedere potest? Erit demum, Serenissime Princeps, eadem tua quæ Torstensohnii laus, eadem memoria. Nihil, Te præsente, gestum encomiis & æternitate dignum, cuius Tu pariter non

E

eris

eris cohæres : dudum in gratissimo hoc legato,
quod Nominis erit immortalitas, R E & V E R B I S,
ac sic quidem excellenter, conjuncti estis. Quippe
cum alterius alter suffultus humeris, nihil sine
utriusque consilio cœptum ; nihil sine utriusque
Virtute tentatum ; nihil sine utriusque magnani-
mitate peractum. Alter sine altero extolli non
potest, quibus idem animus æquè infractus, ea-
dem in subeundis periculis constantia ; idem ro-
bur eundi in hostem. Hic est cui Tu, Serenissime
Princeps, adesse tantopere nitebaris : qui Te, ubi
maxima quæque molienda essent, desiderari no-
lebat. Hic est, à quo tanquam prudentiæ milita-
ris oraculo tam ægrè divellebaris : qui Te, tan-
quam fulgentissimum Germaniæ sydus , utrius-
que Imperii salutem portendens, D E I instar tu-
telaris, in oculis habebat. Vester idem honos, ea-
dem erit gloria, per omnia secula immortales, æ-
ternantibus encomiis vivi de livore mortalium,
ac mundi ineptiis triumphaturi. Meritò forti-
tudinis vestræ per universam Germaniam vene-
rarer vestigia, nisi iis angustior animus silendi ne-
cessitatem imponeret. Sidet mens ac fatiscit ca-
lamus ad memoriam cladis, quâ hostes non ita
dudum in Bohemiâ ad Janchoam nulla alia cæte-
roquin re, ac victoriâ vistra perpetuò duraturam,
excepistis. Ubi hostes equitatu ad tria millia Vo-
bis superiores, pedestribus copiis pares, tanta, ma-
ximam diei partem, decertarunt animositate, ut
crediderit quis illos Victores fore, nisi T u A, &
T O R S T E N S O H N I, adeoq; Svecorum Virtus invicta
stitisset. Abeant jam antiquitatis compilatores,

Alexan-

Alexandri Magni, Pyrrhi, Scipionis, & Hannibal
lis in effeminatos, imbelles, ac solo corpore gen-
tes ostentantes victorias. Majus hic exemplum
admiretur, quo, dirigente Illustriss. Septentrionis
fulcro LEONHARDO, primariæ dignationis Tribu-
natum, primū auctoramentū futuri decoris, gerē-
te CAROLO GUSTAVO COMITE PALATINO
AD RHENUM; Sveci, Germanorum optimi, Gothi,
ac Fenni: Italos, Croatos, Hungaros, Hispanos,
Germanos foederatos, totius Europæ fulmina!
gloriæ ac ultioni suæ exanimaverunt: quo CA-
ROLI GUSTAVI ac TORSTENSOHNII, Campi-
Dux HAZFELDIUS, Duces MERCEIUS, BRU-
AIJUS, ZARADETSCHI, FELIX, tum verò infe-
lix, TRAUDITSCH, & qui non? gloria fortitudi-
nis specimina extiterunt. Hinc Tu, Bellator Se-
renissime, præeunte tuo Torstensohnio, ad fran-
gendarum Austriam, familiæ tuæ perpetuò infensam,
comitante Te Churlandorum globo, incredibili
ausu contendis. Imperantium sedes Vienna No-
minis vestri famâ concussa est: quam ultra Danu-
bii ripas in Hungariam, & quæ huic adjacent, ter-
ras transmisisti. Superabat tandem castrorum
amorem charitas Patriæ: ut ad placitum SERE-
NISSIMÆ AUGUSTÆ revocareris. Nec
diu pòst in hostili bivio substitut LEONHARDUS;
sed Te insequutus in Patriam, vel hanc, si ominari
licet, ob causam, quod militiæ vetus, & laboribus
fractus triumphorum jam oblivisci potuit. Con-
stitutus est summus belli moderator, & LEON-
HARDO suffectus CAROLUS WRANGEL, Heros,
quem non solum terrestria, sed & navalia bella lo-
quun-

quuntur. Cujus vigori verè martiali nuperrimè fortunam obsecundasse audivimus, adeò ut dextrum aciei Cæsariani cornu funditus delendo, quidquid erat equitatus planè, peditis majorem partem absumperit; addita ad clavis celebritatem Holtzapfelii cæde, suo, ultra alios, sanguine prælium hoc nobilitantis. Voluerunt Superi Victoriâ hâc, Tibi, Princeps Serenissime, adventum gratulari: vel omen ac prænuntium esse futuri armorum successus. Verùm ut ad Torstensohnium tuum redeam: quām quæso Augustum & Reipubl. salutare fuit, ubi INVICTISSIMA REGINA, Tu, & emeritus hic castrorum Dux de ineunda belli ratione consilia vestra contulisti, ac inusitatis exemplis confirmatâ prudentiâ singularum eventus ponderasti. SVECIA, quæ in multis, maximè quā militarem industriam, se ad Romanorum instituta jam diu conformavit; noluit immemor esse consuetudinis illius, quā benè merentibus belli Imperatoribus coronæ ac statuæ, in quibus plurimum honoris collocabatur, decernerentur. Itaq; svadente Celsiss. Principe, per aspera quæque olim assiduo comite, Hannibali Svecico in Regnum incolumi recepto COMITIS titulum & dignitatem decrevit. Non habuisti, Princeps Serenissime, inter minima felicitatis momenta, illius honorum inauguracioni interfuisse, qui, Te lateri ejus insistente, quotiens acie defungeretur, Victor abivit. Felix Tu quoque Torstensohni habetor, quod bellorum superstes fatis brabeion hoc virtutis, Comitus præcellentiam, à Patria tua reportare potuisti.

Nunc

Nunc provinciarum, quas Gothia populorum
vagina includit, designatus Gubernator, nihil tam
curis suis convénire putabat, quām sollicitum esse
de exercituum Svecicorum, & Fœderatarum
Gentium, quarū hactenus Consiliarium egerat,
constituendo GENERALISSIMO. Nec potuit vo-
tum hoc, quo progressui armorum nostrorum ve-
lificabatur divinus Heros, alium quām Te, Prin-
ceps Serenissime, in orchestram producere. Cui
ingenium ad belli artes promptum, in Schola Ma-
vortia pereruditum, variantis fortunæ procellis
absolutum. Is n. tantæ potentiaz campis domi-
naretur, in quem invicti spiritus Palatinorum &
Gustavorū confluxere: nec hujusmodi dignitatis
apici se subtrahere quivit, quem oculi ac vota cun-
ctorum præripuerant. Exoravit Te quapropter
REGINA AUGUSTISSIMA, ut oneri huic,
cui solus par eras, excelsum caput submitteres.
Quod equidem munera tantam annexam habet
difficultatem, ut Gloriosiss. Regum GUSTA-
VUS ipse huic præesse necessum haberet. Tu
quidquid erat difficultatis ad Te devolvi nequa-
quam aversabarisi, fretus insigni vigilantiâ, quā
Regni illud Collegium, quod militiaz appellamus,
pro decernendis militi stipendiis laborat, con-
fidens gravissimis consiliis, quæ in Germania de-
gentes Regni Senatores JOHANNES OXENSTIerna,
CAROLUS VRANGELIUS, MAGNUS GABRIEL DE LA
GARDIE, JOHANNES ADLER SALVIUS, quanta Nomi-
na! subministrabunt. Securus admirandæ judicij
sagacitatis, qua AXELIUS OXENSTIERN A singu-
la expeditionis momenta, mirabiliter prorsus even-

F tuum

tuum anticipatione, tamdiu præmonebat. Denique incensus planè ardentissimo illo nisu, quo REGINA diurnis nocturnisq; in Rempubl. curis cœlestis animi intentionem exarmat: sveta ut pote, maximam non solum diei, sed et ingentem non raro noctis partem Scriptorum Gallicorum & selectissimorum Historicorum evolutioni impendere, inq; iis tanti Imperii, quantum divinâ gratia obtigit; tanti belli, quantum cum Domo Austriaca æstuat, gerendi rationem sectari. Nolui-
sti igitur, Imperator Serenissime, Patriæ, Reginæ & Procerum expectationi nō satisfacere: cum ei-
dem paria facere haud difficulter possis, ducen-
tibus in Te agmen notis illis, quas in summo bel-
li Imperatore requirunt prudentiæ Consulti. Ha-
bes enim SCIENTIAM, cum aliarum rerum, tum ma-
ximè rei militaris, non solum eam quam præce-
ptis venditant, sed qualem TORSTENSOHNUS
tuus continuò victoriarum cursu prodidit. Quis
ordo sit agminis, quæ cura explorandi; quantus
urgendo trahendové bello modus, maluisti inter
extremos vitæ anfractus, quām ex libris cognosce-
re. Quò secundarum ambiguorumq; rerum sci-
ens, eo majori animo utramque fortunæ faciem
sustineres. Eminet, Princeps Serenissime, tantò
magis in Te cognitio hæc, quantò minus est affe-
ctata; quantoq; majori cum perspicuitate toto
hoc tempore, quo à belli molestiis feriari volui-
sti, eam REGNO & REGINÆ probasti: in tantum,
ut nihil consilii de negotiis præsertim bellicis;
deliberationis nihil, nisi Te præsente, suscipere-
tur. Habes porrò VIRTUTEM non corporis modò,

san-

sanitatem scilicet, et invictam animi constantiam,
exquisitam sensuum integritatem: sed in rebus
omnibus temperantiam, facilitatem, & summam
humanitatem, &, qui cætera absolvit, admiran-
dum ingenii vigorem. Adest Tibi, ut breviter di-
cam, labor in negotio; in periculis fortitudo; in-
dustria in agendo, celeritas in confiendo. Ha-
bes PROVIDENTIAM, qua nullo loco, nisi quate-
nus necessitas cogit, fortunæ Te commissurus es:
quum nihil sit iis miserius, qui contemnendis,
quam cavendis hostibus sunt meliores; ubi quid
agendum, fortuna potius quam ratione ducun-
tur: prorsus nescii nihil tam invitè ac præliorum
delicta emendari. HABES ETIAM AUTHORITATEM;
illa n. à tanto Natalium fastigio quomodo exula-
re queat? cū militi reverenda quadam imprima-
tur quotidie, ad Imperiū tanti PRINCIPIS opinio.
Prudentiæ lumen illud LIPSIUS pro tuenda au-
thoritate tria remedia prescribit: nimirum ut
forma Imperii sit severa, constans, & adstricta.
Quæ omnia quantum serenitati Tuæ conciliatu-
ra sunt authoritatis, humilimo ac planè devoto
mecum animo partior. Nunquam enim sinis IM-
PERATOR GENERALISSIME, quò gratia illece-
bras peccandi faciat: nec ulla lenitatis aurà aciem
dignitatis hebescere. Meminimus etenim, cum
adhuc sub alio militares, quam severâ castigatio-
ne eandem instauratum ivisti. Nec unquam du-
bitamus, tenore veteri fluentem militaris Imperii
formam Tibi commendatam fore: exemplo pru-
dentissimorum Antecessorum; qui leges & disci-
plinam militarem MAGNO REGI usurpatam,

xger-

ægerrimè, & non sine prolixia Collegarum delibera-
tione immutandam duxerunt. Similiter Tu,
Imperator felicissime, eorum tenax fueris, quæ
antegressi cum successu probarunt. Alienus in
tantum à novatoribus istis, qui pleraque, ut sui
aliquid attulisse videantur, corrigunt: quantum
animadverteris antiquæ consuetudinis institu-
ta ad potentiam armorum Svecicorum fecisse.
Nunquam fortius pugnarunt Alexandri milites,
quàm dum viguit prisca Macedonum disciplina!
Tu denique solus Imperii habenas moderare: ac
cum privati nomen juxta Principis, ex sententia
Taciti, periculose sit attollere, Tu summus esto;
& in avita Germania exere quidquid sit virium,
quidquid Majestatis REGINÆ SVECORUM.
Adsunt Tibi militiæ Præfecti KÖNINGSMARCHIUS,
WITTEMBERGIUS, DUGLAZIUS, LEONHÄUPT,
quibus omnibus inferiores sunt, quotquot sub
MAGNO ALEXANDRO, vel POMPEJO milita-
verint: quibus nihil ad sublimia quæque patran-
da deest: cum Te GENERALISSIMUM acceper-
rint. Invenies militem domesticum plerumque,
relicuum Germaniæ præstantissimum, quem ea-
dem sacra, causa eadem, maxima ad triumphos
momenta nostri conjungunt. Quibus labor nul-
lus insolitus, locus nullus asperaut arduus; non
armatus hostis formidolosus: quibus sudor, pul-
vis, & talia epulis sunt jucundiora. legum metu-
entes, confidentia militari insignes. adeoq; ipso
terræ suæ solo & cœlo acrius animantur. Hæc est
tua virtus, Celsissime Imperator, authoritas hæc,
hi Duces, miles hic. Have res Svecica! ac felici-
tate

tate hac perenna, qua palantibus hostiū copiis, ut latius
naufragia sua traherent, tantum IMPERATOREM tot milib
libus stipatum immittis. Qui quo facile summi Ducis nu
meros adimpleat, non aliare magis quam illa, quæ cœli
tus toties contigit, FELICITATE dispalefecit. Quo nomine
divinam Majestatem veneramur, quæ illam non vulga
rem ipsi hactenus indulxit. Maximis siqvidem post ho
minum memoriam cladibus, quales ad Lipsiam & Jan
choam defunctum esse, non minimum cœlestis præsidii
est argumentum. Macte hac virtute CAROLE GU
STAVE, accum cœli hominumq; consensu in Te deri
vatæ sint famigeratissimi belli cardines, eveniat, ut me
rita hæc, quæ gratiarum actionibus cumulari nequeunt,
postfuturorum ingenia, ac præclaras quasq; mentes
habeant vestigales. Gravissimum hoc pondus, quod
in sacro Regni Palatio humeris tuis succumbere nesciis,
nuper imposuit COGNATA INVICTISSIMA, ita suc
collabis, ut iis, qui inter summos censeri cupiunt, fa
mæ magnitudine umbram facias. Tibi à Potentissi
ma Septentrionis DOMINATRICE constituto su
premo militiæ Directori adsurgunt Duces & milites:
quibus hactenus absensis tui imago tanti constiterit,
hausturi divinam jussionis tuæ vocem. Protestantium
ordines advenienti Tibi tanquam Ecclesiæ Statori per
amicas gratulabundi porrigent manus, nunq; non ausi
bus tuis deservituras. Sveci Gothiq;, & quoscunq; his
assistere jus sit propria securitas, Tibi, quocunque per
reixeris, circumfusi, cum viderint numine tuo virtutem
suam defensam esse, devotæ submissionis donariū pul
vinari tuo inferent. Utique cum omnia in Te, Princeps
Clementiss., ad stuporem virtutis ac miraculum felici
tatis composita sint, ideo minus dubitamus, quin ipsum
Cœlum à capite tuo omnem molestiam ac periculum
averruncet. FAXIT IMMORTALIS DEUS, ut navigium
hoc

hoc Europeæ libertatis, cuius clavo destinatus es, fera-
libus sat iactatum fluctibus optatum in portum tan-
dem reducas. contingent Tibi prospera omnia ac vir-
tutibus tuis maximè digna. Lætus ubique cogitationes
tuas excipiat eventus. Qvò tandem aliquando laudum
circulis tua quasi circumsepta encomia illud fastigium
obtineant: RE DÌ ISSE FORTITUDINE CAROLI GU-
STAVI GERMANIÆ PACEM OB EXILIJM FREDERIEI
ELECTORIS TURBATAM. Qvæ restant, Princeps Celsissi-
me, vel in dicendis laudibus vel nuncupandis votis, ad-
mirationi implicita, invito huic homini silentium im-
perant: pendente animo pietati ne an temeritati im-
putandum veniat, qvod ea, qvæ publicam lætitiam in-
currunt, pauperrimæ dictionis infantiam recolere non e-
ruberit, & inter glomeratos populorū ad plausus bal-
butiem planè juvenilē in apricum producere. Damna-
rem ipse ausus hos nō secus ac temerarios, nisi instituto
erigerer, qvo templis & aris coronæ ac tabulæ pro or-
natu horum appenduntur: Ita Tu, ut spero, Princeps Se-
renissime, protua in omnes clemētia pietati me operat-
um esse interpreteris, qvod tenerimi ingenii censum,
nō aliter ac in sacrum numinis tui ærarium, ingenua de-
votione contulerim. Unum Te jam, Clementissime
Princeps, exorem, nimirum ut hāc Excelsæ gratiæ par-
ticulam impertias, & qvalemcunqve subjectissimi ani-
mi tesseram clementi oculo adspicias, qvò olim Tibi,
qui ex laudibus tuis primas lineas ausus est ducere, fœ-
cundiori Pallade sese approbare valeat: qvādoqvidem
& Tu, eminētissimus virtutis candidatus, Jani tui fores
ad novas laureas indies reclidis. Recipe inter minimos
tuos Campi-Dux Generalissime, illum, qui cum primis
curis vel hanc assiduè volvit, qvomodo se dignum
Tua reddat CLIENTELA.



Skanowanie i opracowanie graficzne na CD-ROM :



ul. Krzemowa 1
62-002 Suchy Las

www.digital-center.pl
biuro@digital-center.pl
tel./fax (0-61) 665 82 72
tel./fax (0-61) 665 82 82

Wszelkie prawa producenta i właściciela zastrzeżone.

Kopiowanie, wypożyczenie, oraz publiczne odtwarzanie w całości lub we fragmentach zabronione.

**All rights reserved. Unauthorized copying, reproduction, lending, public performance
and broadcasting of the whole or fragments prohibited.**